



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

293. [i.e. 198] fer. 3. de remedijs ad elevanda peccata venialia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

352 *Feria 3. Domin. 4. post Pentecost.*  
lores, contra omnia peccata venialia, præ-  
sertim quorum reus sum.

MEDITATIO CXCVIII.

*Feria 3. Domin. 4. post Pentecosten.*

*De remedijs ad eluenda peccata  
venialia.*

**V**idebo, quomodo etiam de levibus pec-  
catis exigantur supplicia, sive in hac,  
sive in altera vita: *Amen dico tibi, non exies  
inde, donec reddat novissimum quadrantem.*  
Matth. 5. Petam agnoscere remedia vitan-  
dorum venialium, iisque uti.

*Conf. 1.* Eadem esse remedia ad purganda  
peccata venialia, quæ ad mortalia: adeoque  
peccata venialia commissa delentur contri-  
tione, confessione, emendationis proposito,  
& satisfactione Sacramentali. Sed & extra  
Sacramentum actu divinæ charitatis. Se-  
quentia remedia non sunt ad delendam cul-  
pam tam certa, ut v.g. attritio, oratio, pro-  
positum vitandi tale peccatum, actus vi-  
tioso contrarius, aliquod opus studiosum:  
neque enim Sanctorum, neque Patrum au-  
toritate nituntur, & experientia est, huius-  
modi remedijs conscientiam non tranquillari.

*Conf. 2.* Circa confessionem venialium  
1. notabilia proponenda, non autem sup-  
primenda, solis minutis, quæ ruborem ini-  
care



*Fer. 3. Domin. 4. post Pentecost. 353*

cere non possunt, enumeratis, quod hypocrisis sonat: unde patet examen conscientiae tali confessioni esse praemittendum. 2. Facta examinatione conscientiae dolor de eiusmodi peccatis est excitandus. 3. Propositum emendationis. 4. Confessio humilis. 5. Satisfactio perficienda per orationes, per afflictiones carnis, per opera pietatis, ac misericordiae: quae remedia supposita confessione, & praemissa, pondus habent majus ad delendam poenam.

*Conf. 3.* Alia remedia ad eluenda peccata venialia, post SS. Sacramenta, praecipue Eucharistiae, quod est antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus praeservamur: eluuntur etiam peccata venialia oratione Dominica, confessione generali, unzione pectoris, aqua benedicta, benedictione Episcopali, elemosyna, oratione in Ecclesia, si haec & similia cum poenitentiae motu assumantur.

MEDITATIO. CXCIX.

*Feria 4. Domin. 4. post Pentecost.*

*De peccatis venialibus significatis*

*per lignum. 1. ad Cor. 3.*

**A**spiciam peccata venialia ab Apostolo sub metaphora ligni ad comburendum proposita, videbóque horrendum rogam e lignis